DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSENTERIA.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE DYSENTERIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI Conſenſu; et

Nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES WATSON,

VIRGINIENSIS:

Ad diem 24. Junii, horâ locoque ſolitis.

Reſtat adhuc ſepulta, atque obvoluta tenebris arcana vis ſtimuli.

BERSARIUS.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

M DCC XCIX.

AMICO SUO

ELISHÆ C. DICK, M.D.

ALEXANDRIÆ, VIRGINIENSIS,

HOC OPUSCULUM

GRATI ANIMI PIGNUS,

D. D. C.QUE

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA.

DEFINITIO.

"PYREXIA contagiosa, dejectiones fre-
" quentes mucosæ, vel sanguinolentæ,
" retentis plerumque fæcibus alvinis, tormina,
" tenesmus *."

A VARIAT:

* CULLENI Synop. Nos. Method. vol. ii. p. 178.

VARIAT:

I. Vermibus comitata;

II. Dejectis moleculis carnosis vel sebaceis;

III. Febre intermittente comitata;

IV. Sine sanguine;

V. Miliaria comitata *.

Tot autem sunt mali phænomena, varietates et effectus, ut plenior ejusdem necessaria fiat.

HISTORIA.

Pauci sunt morbi, qui sæpius in regionibus et tempestate calidis, quàm dysenteria, grassantur: comes rei militaris in his præsertim regionibus, ubi pesti ipsi infelicitate, et acerbitate, vix

* Culleni, Synop. Nos. Method. vol. ii. p. 181.

vix ſecunda ſæpe exiſtit, indivulſa eſſe ſolet. In noſocomiis etiam frequentibus, et navibus, quæ mancipiis deportandis dicantur, aut ubicunque munditiæ ſalubriorque perflatus negliguntur, lugubrem ſæpe ſtragem dat. Hujuſmodi autem terræ plagis, et rebus, minimè ſemper contenta eſt ; in pleriſque enim regionibus, illa præſertim tempeſtate quæ ejuſdem ortui favet, plus minuſve invaleſcet. Sub cœlo quidem frigido rarius ſævit, et mitior plerumque exiſtit.

Dyſenteria æſtate et autumno, poſt diuturniorem preſertim æſtum, quem cœlum humidum excipit, frequentiſſime invadit : eandem ſæpe cum febre intermittente, remittente, aut typho maligna, qualis in carceribus et valitudinariis vigere ſolet, conjunctam videmus : re ita ſe habente, ſigna morbi, quem comitem habet, plura, pauciorave, adeſſe ſolent. Pyrexiæ indicia mali impetum prægreſſa inflammationis,

mationis, quæ in typhum malignam plerumque definit, aliquid habere solent: hæc interdum adeo sunt levia, ut signa loco propria pavorem primò incutiant: æger autem quantula pyrexia jamcunque fuerit, lassitudinem, cibi fastidium, nauseam interdum, et vomitum, cum alternato frigoris caloriſque sensu queritur. Indices jam dicti aliquot dies ante interdum urgent, quàm signa mali propria supervenerint.

Alvus, ineunte morbo, sæpe supprimitur; et præter solitum murmurat; interdum vero cietur: dejectiones plerumque jam copiosæ et naturales sunt; brevi autem parcæ, aquosæ et mucosæ, sanguine sæpe tinctæ, et membranulis distinctæ, sævis simul torminibus, et teneſmo, urgentibus, evadant.

Dejectionum frequentia est admodum varia: æger autem quindecies, aut vicies, indies plerumque

rumque desidet: in dysenteria à cel. ZIMMERMAN descripta multi alvum quadragies, aut quinquagies, quotidie levare conati sunt: imo tanta fuit interdum frequentia, ut dysenterici quidam duodecim horarum spatio centies quinquagies, vel etiam ducenties, desidere coacti fuerint. Hi nihilo tamen minus convaluerunt.

Dejectionum species in diversis mali stadiis, eodem etiam ægro multum variatur: modo mucus spumosus, modo sanies purulenta, et, ut ZIMMERMAN notat *, albida simul, rubra, flava, fusca, viridis, et modò etiam nigra, cum fœtore cadaveroso, dejicitur. Sanguis etiam purulentus in gravioribus mali exemplis infra transmittitur. Particulæ sevum colore et spissitudine referentes, et materies quæ caseum simulat, cum intestinorum lumbricis sæpe descendunt: alii porrò globuli scybala nominata, qui

* De Dysent. p. 4,—5.

qui ex ſtercore indurato formantur, per totum morbi decurſum ſubinde dejiciuntur.

Tormina ſæva et teneſmos plerumque malo aliquantùm provecto, ingraveſcentia et dorſi ſæpe dolore, et urinæ difficultate, quæ magnam miſero moleſtiam affert, comitantibus, alvi dejectiones prægrediuntur.

Arteriarum ictus modo fere naturales; modo frequentes, duri, et etiam pleni ſunt; in gravioribus exemplis velociſſimi, parvi, et inſigniter debiles, exiſtunt: hoc pulſuum diſcrimen ex febris, quæcum morbus conjungitur, ſpecie et magnitudine, ſeu gradu, pendet.

Corporis externi calor haud inſignis eſt, interni verò ingens, et inexplebili ſiti comitatur. Cutis et lingua, aridæ; hæcque villis fuſcis aut nigricantibus, obducitur. Ventriculus, progrediente morbo, haud parum naufea et vomitu

vomitu turbatur. Singultus, et ani prolapſus, ſuperveniunt. Exemplis violentioribus lingua et fauces aphthis, cutiſque lenticulis, et ulceribus, obducuntur.

Morte appropinquente, arteriarum pulſus frequentiores et exiliores fiunt; tendinum ſubſultus, et convulſiones, ſuperveniunt; ſudores lenti, et gelidi, prorumpunt; corporis extrema frigeſcunt; facies pallida, et livida, evadit; et animi deliquia miſeriæ finem tandem imponunt.

Dyſenteriæ imperitè tractatæ effectibus, jecinoris ſchirrus, aliorumque viſcerum obſtructiones, annumerandæ ſunt; aſcites porrò, et diarrhœa, quæ diu, in multos interdum annos, producitur, nonnunquam ſubſequuntur.

Phænomena

Phænomena Cadaverum Inciſione inventa.

Cadaverum inciſione dyſenteriam ſuam in tunica coli et recti, quæ, inflammatione, omnibuſque ejus ſequelis afficit internâ, ſedem præcipue figere inventum eſt. Nulla fere abdominis viſcera clade immunia evadunt: hepar, lien et omentum, ſæpiſſime afficiuntur.

" Upon opening the bodies of the dead," inquit CLEGHORN, " I have conſtantly found " the great guts either entirely mortified, or " partly inflamed, partly mortified, the rectum " being moſt affected. In many I have ſeen " ſchirrous tubercles ſtraitening the cavity of " the colon in ſeveral places; in a few there " were ſmall abſceſſes in the cellular mem- " brane of the peritonæum, contiguous to " the colon and rectum. Sometimes the " ſmall guts were ſound in appearance; but " more

" more frequently their lower part was infla-
" med, their convolutions being preternatural-
" ly connected to each other by membranes,
" as the lungs are ſometimes to the pleura.
" In two people the omentum was almoſt
" entirely waſted, (the ſmall remains of it be-
" ing quite black), while purulent matter was
" found in the cavity of the abdomen. In ſe-
" veral it was inflamed, and adhered to the
" guts and peritonæum. For the moſt part,
" the gall-bladder was full of a dark bile,
" and the ſpleen more or leſs in a putrid con-
" dition *".

In nonnullis exemplis ventriculus, et inteſtina tenuia inflammantur. Accuratus D. Donaldus Monro, colon et rectum maculis, nigricantibus gangrænæ effectibus fœdata tu-

B nicamque

* Diſeaſes of Minorca, chap. 5.

MANCHESTER MEDICAL SOCIETY.

nicamque eorundem villoſam pereſam, obſervavit *.

Baron. PRINGLE inciſo militis, qui die morbi vigeſimo tertio mortuus eſt, cadavere, has ſpecies morboſas deſcribit. " The large in-
" teſtines were of a blackiſh colour, and had
" a putrid appearance; their coats were re-
" markably thick, and on the inſide ulcera-
" ted, eſpecially in the rectum and lower
" part of the colon, where the villous coat
" was either abraded or changed into a
" corrupted ſlimy ſubſtance of a greeniſh
" caſt †."

Neque abdominis tegumenta partium internarum inflammatione, ejuſque effectibus, immunia evadunt: ſubſtantia enim adipoſa, et muſculi

* Obſervations, vol. i. p. 326.

† Diſeaſes of the Army, p. 244.

muſculi flaccidi et mollis fiunt, et ſero interdum diſtenduntur.

Pleraque abdominis viſcera, hepar, putà, veſicula bilis, et ſplen mole inſigniter aucta reperta fuerunt.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Reputantibus, quanta quibuſdam hujus mali ſignis cum eis febris intermittentis, ac remittentis ſimilitudo intercedit; haſque affectiones eiſdem, terræ plagis, iiſdemque rebus circumſtantibus, invaleſcere; nec raro in dyſenteriam abire; hanc et illas eaſdem, aut admodum ſimiles ſaltem, cauſas, agnoſcere, veriſimili videretur. Inteſtinorum difficultas, in terræ locis, paludibus, et calore, inſignibus, frequentiſſime invadit: Cæli igitur intemperies præſertim calor intenſior, et humor

mor mali ortui haud parum favere videntur: his frigus et calor alternis vicibus agentia, corporiſque in putridinem proclivitas, accenſeri debent. Plures aliæ quoque cauſæ, labor, putà, nimius, inſomnia, putridi terrarum rerum anhelitus, diæta parca, inſalubris, aut parum nutriens, frugum recentium, aliarumque rerum quæ putredini obſtant, inopia, jam dictis ſuppetias ferunt: hinc milites in caſtris, aliique, qui alternatæ frigoris et caloris actioni multum objiciuntur; neque veſtibus idoneis ab eâdem defendientur, aut qui fatigatione, aliiſve difficultatibus, infirmantur, huic malo præ cæteris patent. Haud rarò in urbibus obſeſſis, et navibus, propter eandem rationem dyſenteria graſſatur. Aliæ denique res, quæ corpus infirmant; Venus nimirum, nimia, affectus animi deprimentis, immunditia, vini aut ſpiritus ejus abuſus, multaque alia eòdem pertinentia mortales in dyſenteriam proclives faciunt.

CAUSÆ

CAUSÆ EXCITANTES.

Contagio peculiaris, quæ eodem fere modo, quo anginæ malignæ virus membranam faucium mucoſam, aut variolarum contagionem cutem, petit ad inteſtina, præ cæteris corporis partibus, naturâ ſuâ fertur, occaſionalis dyſenteriæ cauſa eſſe videtur: quamvis enim hæc affectio nonnullos ſparſim ſubinde adoritur: eadem tamen contagione ſemper vulgari veriſimillimum eſt. Hæc peſtis, aliarum contagionum inſtar variis modis, pro ægrorum et ſanorum conſortio, aut aliarum rerum communitate, huc illuc diffundi poteſt. Viri autem ipſius naturam penitus ignoramus. D. Deguer mortiferam dyſenteriam, quæ tantam noviomagi ſtragem dedit, unius dyſenterici contactu vulgatum

vulgatum fuiſſe opinatur * : et Baron. PRINGLE felicem peregrinorum, et præſertim Judæorum, immunitatem, nulli, aut ferè nulli, ipſorum cum miſeris illius infelicis urbis incolis conſortio tribuit. Auctor, proximè citatus, obſervatione fretus, contagionem primò in ejuſdem tabernaculi commilitones, et deinceps in proximos quoſque diffundi, et ſubſtramen ipſum, ſtragula, et culcitras, peſtifera evaſiſſe narrat : morbus autem foricarum communitate maximè vulgatur.

Aliæ quidem cauſæ occaſionales, ſeu excitantes, halitus, putà, cutis repreſſus, humor, vini ſpiritus abuſus, aliaque benè multa ab auctoribus memorantur. D. RUSH dyſenteriam paludum anhelitus, et contagionis, prolem †, SYDENHAMUS febrem introverſam ‡, appellant.

* Diſeaſes of the Army.

† Med. Ext. vol. iv.

‡ Opera.

pellant. Quoad omnes autem has cauſas excitantes, ſi contagionem excipiamus, vereſimilius videtur hanc inertem, ſeu actionis expertem in corpore ſublatuiſſe, dum illæ, frigus, nimirùm, humor et frugum abuſus, debilitatem, malo neceſſariam, induxerint. Quod fruges quidem attinet, eodem à MONRONE, ZIMMERMANNO et PRINGLEO, dyſenteriæ curatione multum commendantur.

CAUSA PROXIMA.

Cauſa inteſtinorum difficultatis proxima tunicæ villoſæ inflammatio, quæ à parte ſuperiore deorſum ſerpit, et tunicæ eorundem muſculoſæ ſpaſmum infert, eſſe videtur.

DIAGNOSIS.

DIAGNOSIS.

D. Rush Americanus, et cel. Balfour Bengalenſis, dyſenteriam *inteſtinorum febrem ſtatum appellant;* eamque ad eundem ſpaſmorum ordinem, cui diarrhœa, lienteria, colica, et cholera annumerantur, referre maluerunt. A diarrhœa autem naturâ ſua peſtiferâ, et pyrexia plus minuſve gravi prægreſſa dignoſci poteſt. Porro dejectionis diarrhœâ laborantibus, quippe copioſæ, et naturales, ſunt penitus diverſæ.

Lienteria affectis ingeſta parum mutata celeriter, nullo fere gravi ventris dolore comite, dejiciuntur; quæ res dyſentericis omnino diverſa eſt.

A colica ſtercoris vomitu, umbilici retractione, abdominis muſculorum ſpaſmis, alvo aſtricta, et pyrexia nulla prægreſſa, ſecernitur.

A cholera denique ſurarum ſpaſmis, humoris fellei vomitione, ejuſdem ſimul dejectione frequenti, et pyrexia nulla comitante, deſtinguitur.

PROGNOSIS.

Judicium de eventu è ſignorum violentia tempore, quod malum duraverit, ægri viribus, et remediorum effectu, pendebit. Si ineunte morbo, dejectiones copioſæ fuerint; tormina et teneſmus non graviùs urgeant, pyrexia levior ſit, nauſea et vomitus parum fatigant, nec ægri vires frangantur; fauſtus exitus jure ſperandus eſt.

Contra ubi desidendi conamina frequentiora sunt ingentem dolorem afferunt, et parum, aut nihil fere, egerunt; sævaque tormina, et inexplebilis desidendi cupiditas, et magnæ debilitatis indicia, insignis putà, dejectionum fœtor, abdominis durities, lenticulæ, petechiæ, maculæ, vibices, animi diliquium, sudores viscidi et gelidi, extremorum frigus, singultus, delirium, et invita urinæ et stercoris excretio adsint, nil sperandum est.

RATIO SYMPTOMATUM.

Contagio peculiaris corpori, causis prædisponentibus infirmato, admota, febrem accendit; et ad intestina vi aliqua, nescio quam, delata inflammationem et spasmum ipsis, colo præsertim, et recto, infert: hinc fœces accumulatæ in coli cullulis formantur in globulos duros, qui partem inflammatam irritando torminibus,

minibus, teneſmo et ani prolapſui occaſionem dant.

Sanguis qui dejectiones tingit, ex inteſtinorum vaſculis infirmatis, præter naturam auctis, et irritatione aſſidua, et humorum acrimonia, ruptis et pereſis, provenit. Præ inflammatione, et irritatione quæ ex torminibus et teneſmo, ſignis mali propriis, et indivulſis, muci ſecretio ex glandulis, quibus partes inflammatæ et præcipuè rectum uberius inſtructa ſunt, præter naturam augetur, et cum inteſtinorum aëre commiſta, dejectionum mucoſarum et ſpumoſarum cauſa exiſtit.

Nauſea et vomitio conſortio, quod ventriculo cum canali inteſtino intercedit; ſeu potius irritatione, quæ ex bile in ventriculum ex duodeno delata oritur, tribuendæ videntur.

RATIO

RATIO MEDENDI.

Medendi conſilia ex ſignis quæ maxime urgent, deſumantur oportet: cumque dyſenteria inſigniter, pro diverſo typo, facie externa, aliiſque rebus, variatur; remedia præſentiſſima et tutiſſima eademque adminiſtrandi ordo et præcepta ex medici peritia ſemper pendeant neceſſe eſt. Nam ut cel. MOSELY rectè notat. " I do not reaſon with devotees to " ſettle forms, and foes to innovation, who " may think a vomit, purge, or diaphoretic " ought to have its regular bedſide period, " and that nature, like themſelves, cannot be " forced to do two things." Qualicunque fuerit mali ſtadium, ſi arteriarum pulſus frequentes, validi, et duri extiterunt, Aliaque inflammationis ſigna adſint, ſanguis detrahatur

tur oportet. Ubi partis inflammatæ ſigna enteritidis phænomena ſimulant; idem auctor tepidarium, fotus, et veſicatoria, commendat. Vomitoria primas vias ſordibus purgando, inſigniter proſunt: Ipecacuanha hoc conſilio plurimum laudatur; eandemque ita datam, ut ſudorem leniter moveat, cel. FRIEND maxime proficere aſſerit.

Vitrum antimonii ceratum plurimum dyſenteriæ ſanatione olim commendatum fuit; ob doſin autem ejus parum certam, jam penè exolevit.

Cathartica mitia, ineunte morbo, laudantur, horum præcipua ſunt potaſſa tartarizata. Soda tartarizata, magneſia vitriolata, infuſum tamarindorum cum ſenna, oleum ricini: quod ſi hæc votis parum reſpondeant; acriora cathartica, rheum, putà, jalapa, hydrargyrusque muriatus mitis dentur oportet.

D.

D. Clarke Novi Caſtelli, hydrargyrum opio conjunctum in exemplis pertinacioribus felici eventu dare ſolet *.

Sydenhamus, præmiſſa plena alvi purgatione, opium ſtatim dedit: poſtero die alvi exinanitio omiſſa fuit.

Enemata, quippe inteſtina foventia, emollientia, doloremque conſopientia, magno fructu adminiſtrantur: ex rebus mitiſſimis, qualia ſunt leni, vel amyli, decocta, juſculum ovillum, gummi Arabici ſolutio, aqua tepida, conſtare debent.

Diluentia valde neceſſaria ſunt, excretiones promovent, acrimoniam minuunt, ſitim reſtinguunt, curſumque humorum ad ſuperficiem verſus faciunt; blandiſſima, ſerum nimirum, lactis,

* Obſervations, p. 373.

lactis, lac ebutyratum, pulmenta ſeu ptiſanaria, juſcula, infuſio althææ, anteponenda ſunt. D. ZIMMERMAN pulmenti avenacei uſum improbat: juvenis dyſenterici, paralyſi inde affecti, exemplum literis mandavit *.

Ventriculi et inteſtinorum acor dyſenteriam interdum comitatur; hìc medicamenta abſorbentia opus fiunt, qualia ſunt magneſia et creta; illa verò ventriculi quippe acido in ſalem neutralem, qui alvum leniter movet verſa, plerumque anteponitur.

Medicamenta aſtringentia, dyſenteria ineunte, quippe quæ inteſtinorum laxitatem cauſam ſuam non agnoſcit, parum accommoda videntur: diarrhœa autem cui hac medicamentorum claſſe occurri poteſt, aliquando ſupervenit: Catechu, tormentillæ radix, hæmatoxyli Campechiani, decoctum, caſcarillæ, ſimarubæ,

* Oſervations, p. 98.

marubæ, extracta, quercus cortex. Gum. kino, variis formis cum creta, alumine et opio, conjuncta, hoc conſilio data fuerunt.

Cum dyſenteria ex halitu cutis repreſſo provenire fertur; remedia huic excretioni reſtorandæ idonea commodè adhiberi poſſunt: hoc conſilio ſales neutrales, opium, vomitoria nauſeam cientia, horumve compoſitiones, pulvis nimirum ipecacuanhæ compoſitus, ſeu hauſtus ex vino antimonii tartariſati et opii tinctura paratus, dentur.

Mosely remedia cutis halitum moventia præcipuè commendat; dyſenteriam enim inteſtinorum febrem cutis excretione repreſſa ortam, eidemque remediis, quæ humorum curſum cutem verſus efficaciſſime feſtinant, maximaque in ſudore promovendo vi pollent, optimè mederi opinatur.

Induſium

Induſium laneum quippe quo cutis a frigore defenditur ejuſque anhelitus intenditur in omni dyſenteriæ ſtadio inſigniter prodeſt.

Cunctis mali indiciis ſublatis, lenis corporis exercitatio, tonica, victus, regimenque ægri viribus accommodatum, quo ventriculi et inteſtinorum vires reſtaurentur, præcipiantur oportet. Cura ſimul adhibenda, ut alvi excretio naturalis ſit; æger ad ſolitum vitæ genus, victuſque rationem paulatim redeat, et mali cauſas, frigus præſertim, caveat.

FINIS.